Cartulaire manceau de Marmoutier, Tome Second, Sablé, Nr. 8

Cognoscant tam praesentes quam futuri hujus Majoris Monasterii possessores Rainaldum familiarem nostrum, filium scilicet Rotberti Burgundionis, nostri nichilominus familiaris, divertisse ad nos quadam vice de itinere suo cum pergeret Romam et venisse in capitulum nostrum et petisse a domno abbate Bartholomeo et ab omni capitulo ut faceret orationes pro eo. Et susceperunt tam domnus abba B[artholomeus] quam et alii seniores preces ejus. Quibus susceptis suggesserunt ei ut aucto[ri]zaret Deo et sancto Martino quicquid habebamus in honore suo et in honore patris sui quem habiturus erat post decessum illius. Ipse vero libenter concessit non solum quicquid jam habere videbamur in illis duobus honoribus, scilicet in honore patris sui Rotberti et in suo, verum etiam quodcumque deinceps vel dono vel precio adquirere possemus. Huic auctorizationi affuit Hamelinus, filius Suhardi, qui venerat cum eo in capitulum nostrum.

Ernest **Laurain**, Cartulaire manceau de Marmoutier, Tome Second, Laval 1945, S. 79.
URL: https://werkstatt.formulae.uni-hamburg.de/texts/urn:cts:formulae:marmoutier_manceau.laurain_sabl%C3%A9_0008.lat001/passage/1
Heruntergeladen: 2025-01-03